ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ

ΤΑ
ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

ORIGENIS
OPERA OMNIA

QUÆ GRÆCE VEL LATINE TANTUM EXSTANT
ET EJUS NOMINE
CIRCUMFERUNTUR,

Ex Variis Editionibus, & Codicibus manu exaratis, Gallicanis, Italicis, Germanicis & Anglicis collecta, recenſita, latinè verſa, atque annotationibus illuſtrata, cum copioſis indicibus, vita Auctoris, & multis diſſertationibus.

Opera & ſtudio Domni CAROLI DELARUE, *Preſbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri.*

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,

Typis JACOBI VINCENT, via Sancti Severini, ad inſigne Angeli.

M DCC XXXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO.

SANCTISSIME PATER,

Eximius ille Chriſtianæ Religionis defenſor Origenes, *cujus reſidua quotquot reperiri potuerunt opera*, *faventibus* SANCTITATIS TUÆ *auſpiciis*, *in lucem prodeunt*, *ſic auguſtum ſanctumque Romani Pontificis nomen coluit ac veneratus eſt*, *ut cæteris eſſe queat exemplo. Noverat Apoſtolorum*[a] *Principem æternam illam fixiſſe Romæ ac ſanguine ſuo*

[a] Origen. tom. 2. hujus Edit. pag. 24.

IN
ORIGENIS EPISTOLAS
ADMONITIO GENERALIS

EUſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 2. ait ſe quidquid ad Origenis vitam pertinet, maximam partem ex ejus literis collegiſſe; & ejuſdem libri cap. 36. narrat ſe quotcumque ſparſim apud varios aſſervatas reperire potuit, ſeorſim in proprios libros, ne iterum diſſiparentur, digeſſiſſe; fuiſſe autem illas numero ſupra centum. Librum Collectionis hujus quartum citat Rufinus in libello de Adulteratione librorum Origenis. E tanto autem Epiſtolarum numero paucæ admodum ſunt quarum aliqua ad nos ſpecialis notitia pervenerit.

1°. Recenſetur ea, quam, teſte Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 2. ad patrem Leonidam in carcere fidei cauſâ detentum miſit, quaque illum ad martyrium vehementiſſime cohortabatur, his inter cætera verbis eum admonens: ἔπεχε, μὴ δι' ἡμᾶς ἄλλο τι φρονήσῃς: Cave ne noſtrâ cauſâ ſententiam mutes. Reliqua hujus aureæ epiſtolæ periere.

2°. Commemoratur illa, quâ Ambroſii ardorem erga ſacras literas deſcribit, & cujus fragmentum ex Cedreno pag. 253, & Suida in voce Ὠριγένης, infra primo loco exhibetur.

3°. Refertur ea, in qua teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccl. c. 19, & Suida in voce Ὠριγένης, ſe ipſe purgat adverſus eos qui nimium ejus ſtudium erga græcanicas diſciplinas reprehendebant. Hujus aliqua particula infra ſecundo loco repræſentatur.

4°. Epiſtola illa memoratur, quam contra adverſarios ſuos anno Chriſti 231. vel 232. poſt ſuum ex urbe Alexandria diſceſſum ad amicos ſuos Alexandrinos miſit. Hujus infra exhibentur latine duo inſignia fragmenta, alterum ex libro ſecundo Hieronymi contra Rufinum, alterum ex Apologetico libello ejuſdem Rufini pro Origene. His adjunctum eſt aliud fragmentum Epiſtolæ Alexandri Hieroſolymorum Epiſcopi ad Origenem.

5°. Magno numero fuiſſe videntur illæ Origenis Epiſtolæ quas teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 36. & ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum, & ad complures alios Eccleſiarum Antiſtites de recta fidei ſuæ ratione ſcripſit circa annum Chriſti 236. ſed jamdudum intercidere. De Epiſtola ad Fabianum Hieronymus Epiſt. 41. aliàs 65. hæc habet: Ipſe Origenes in Epiſtola quam ſcribit ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum, pœnitentiam agit cur talia ſcripſerit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quod ſecreto edita in publicum protulerit.

6°. Ad nos uſque pervenit integra græce Origenis Epiſtola ad Africanum de Suſannæ hiſtoriâ. Infra Epiſtolæ Africani ſubnectitur.

7°. Extat etiamnum Epiſtola ad Gregorium Thaumaturgum qua illum hortatur ut contemto Philoſophiæ ſtudio totum ſe dedat Scripturæ ſacræ. Scripta eſt circa annum 240. Integra infra græce exhibetur è Philocalia.

8°. Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſ. cap. 60. commemorat Origenis literas ad Beryllum Arabiæ Boſtrenum Epiſcopum. Scriptæ ſunt circa annum Chriſti 240. ſed injuria temporum jampridem intercidere.

9°. Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 36. memorat ejus Epiſtolam ad Imperatorem ipſum Philippum, & alteram ad conjugem illius Severam. Earumdem meminit Hieronymus in catal. Script. Eccleſ. cap. 54. Ad Philippum, inquit, Imperatorem qui primus de Regibus Romanis Chriſtianus fuit, & ad matrem [Euſebius, conjugem] literas fecit, quæ uſque hodie extant. Idem teſtatur Vincentius Lyrinenſis commonit. 1. cap. 23. his verbis:

ORIGENIS EPISTOLÆ.

Ἐκ τῆς Ὠριγένους ἐπιστολῆς πρός τινα περὶ Ἀμβροσίου.

Ὁ ἹΕρὸς καὶ Θεῷ γνησίως ἀνακείμενος Ἀμβρόσιος [a] πολλά σοι προσαγορεύει, ὅστις νομίζων με [b] φιλόπονον εἶναι, καὶ πάνυ διψῶντα τοῦ θείου λόγου, ἤλεγξε τῇ ἰδίᾳ φιλοπονίᾳ καὶ τῷ πρὸς τὰ θεῖα μαθήματι ἔρωτι· ὅθεν ἐπὶ τοσοῦτόν με παρελήλυθεν, ὥστε κινδυνεύειν ἀπαυδᾷν πρὸς τὰς αὐτοῦ προτροπάς. [c] οὔτε γὰρ δειπνοποιεῖσθαι ἔξεστιν ἡμῖν ἀντιβαλλομένοις, οὔτε δειπνήσαντι ἔξεστι περιπατῆσαι καὶ διαναπαῦσαι τὸ σωμάτιον, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις φιλολογεῖν καὶ ἀκριβοῦν τὰ ἀντίγραφα ἀναγκαζόμεθα.

A Ex * Epiſtola Origenis ad quemdam de Ambroſio.

SAnctus & Deo vere dicatus Ambroſius tibi ſalutem plurimam dicit. Is cum me laborum tolerantem, & ſacrorum oraculorum cupidiſſimum eſſe putaret, ſua induſtria & ſacrarum diſciplinarum amore me coarguit. B Tanto enim me poſt ſe reliquit intervallo, ut parum abſit, quin de exequendis iis quæ mihi injunxit, deſperem. Namque vel inter cœnandum exemplaria nobis conferenda ſunt: neque à cœna ambulare, aut corpus quiete relaxare datur; ſed illo etiam tempore literis vacare, & emendare exemplaria cogimur. C

* Interpretatio latina eſt Æmilii Ferrii.

a Suidas πολλά σοι προσαγορεύει, &c. Hieronymus epiſt. 18. ad Marcellam, (incertum an memoriæ lapſu) Ambroſio tribuit quod ex præſenti Origenis epiſtola liquet ipſimet Adamantio eſſe tribuendum. *Ambroſius*, (inquit Hieronym.) *quo chartas, ſumtus, notarios miniſtrante tam innumerabiles libros vere Adamantius & Chalcenterus noſter explicavit, in quadam Epiſtola quam ad eumdem de Athenis ſcripſerat, refert nunquam ſe cibum, Origene præſente, ſine lectione ſumpſiſſe, nunquam iniiſſe ſomnum, niſi unus è fratribus ſacris literis perſonaret: hoc diebus egiſſe & noctibus, ut & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem.* Cæterum de Ambroſio illo primum Marcionitâ, vel, ut alii volunt, Valentiniano, vel ut quidam, Noetiano, deinde ab Origene ad veritatem meliorem traducto, Alexandrinæ poſtea Eccleſiæ Diacono, Confeſſore, & in Sanctorum demum album relato, vide Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 18. & 23. Epiphanium hæreſ. 64. c. 3. Hieronymum de Script. Eccleſ. aliosque complures quos nimium eſſet ſingulatim recenſere. Vide inſuper Origenis vitam.

b Suidas φησι.

c Suid. ὅτε γὰρ [illegible]